



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 5. Si quis absoluto novitiatu dimittatur & postmodum iterum admittatur, an repetere debeat novitiatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

§. IV. Si novitia apud Moniales etiam ad clau- 21
suram obligatas ob infirmitatem vel aliam causam
necessariam debeat ad tempus remitti ad paternas æ-
des, potest hic cum facultate Prælati continuare suum
novitiatum, *Suar. T. 3. l. 5. c. 14. n. 13.* dicens esse
decisum à S. Congreg., *Sanch. in Dec. l. 5. c. 4. n. 28.*
Pelliz. tr. 10. c. 2. n. 48.

Q. 5. Si quis absoluto novitiatu dimittatur, & 22
postmodum iterum admittatur, an repetere debeat
novitiatum. R. Negant *Sanch. in Dec. l. 5. c. 4. n. 34.*
aliique cum *Lex. T. 4. v. professio n. 10.*, quia à *Trid.*
plus non requiritur, quam ut præcesserit novitiatus,
in quo probarit Ordinem & ab Ordine sit probatus,
quod hic factum est: è contrà debere repetere putant
Suar. & Castrop. t. 16. d. 1. p. 12. §. 2. n. 10., tum quia
prior probatio videtur esse extincta per egressum,
tum etiam quia multi censent annum probationis
debere sic esse continuum, ut duret usque ad profes-
sionem, quamvis contradicant *Ang. Silv. Rodriq.*
& alii apud *Barb. de potest. Epif. alleg. 201. n. 23. &*
28.; sed saltem vera est secunda sententia, inquit *Lugo*
in resp. mor. l. 4. d. 1., si quis in Societate J E S U post
novitiatum & vota simplicia dimissus fuerit, ite-
rumque admittatur, quia tum primus novitiatus ha-
buit suum effectum, nempe admissionem ad vota, er-
go pro nova admissione ad nova vota prærequiritur
nova probatio, quod pluribus confirmat *Lugo* ibi-
dem, quamvis cum tali sæpe congruum sit dispensari
post primum annum repetiti novitiatus.

Q. 6. Quid præterea sit notandum circa volo- 23
rem vel invaliditatem, & revalidationem profes-
sionis. R. seqq.

§. I. Si hermaphroditus, in quo uterque sexus
erat æqualis, fecerit professionem, *Sanch. de Matr. l.*
7. d. 106. docet hanc esse nullam, cum enim sit gravis
indecen-